DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCARLATINA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES JACOBUS MITCHELL,
AMERICANUS.

———que huic opusculo desunt, ætas suppleat.
QUINTIL.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXXV.

VIRO BENIGNO

GULIELMO MEIN,

DE ORMISTON,

ARMIGERO;

OMNIBUS

QUI EJUS VIRTUTES NOVERUNT

CARISSIMO;

AMICO CERTO

IN RE INCERTA;

HOCCE OPUSCULUM,

PARVULUM QUIDEM, SED GRATI ANIMI

PIGNUS,

MULTORUM BENEFICIORUM

HAUD IMMEMOR;

OFFERT

JOANNES JACOBUS MITCHELL.

PATRI SUO CARISSIMO,

AMICOQUE OPTIMO,

DAVIDI BRYDIE MITCHELL;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

FILII PIETAS

INSCRIBERE SUADET

J. J. M.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

AUCTORE JOANNE J. MITCHELL.

Medicina per curriculum paucorum annorum in amplificatione rapide provecta est, multæ novæ res observatæ, et conjecturæ ortæ sunt, et nondum in formam redactæ; ita quoque difficultas scribendi medicam dissertationem pariter crevit. Scarlatinam ad tractandum elegi, quippe jam toties tractata et doctissimis illustrata fuit, præcipue

Doctore BATEMAN in ejus opere de morbis cutaneis, ubi omnes res notas collegisse, et historiam istius classis morborum usque ad nostra tempora deduxisse videtur, sperem igitur non multum errare. Doctore BATEMAN, Cullenoque cujus historia morborum est una optimarum, præcipue excerpsi; amicos notosque benignitatem erga hoc opusculum, quibus legetur, posco—" edidi, quæ potui."

Doctor BATEMAN magna eruditione ostendit hunc morbum in antiquis temporibus, cum aliis exanthematis, cognitum esse. Auctoritas inexplicita et mutilata, dicit, veterorum, imperiti de natura horum exanthematum, opinionem ortûs eorum recentis parum confirmare queat, sed descriptiones breves et repetitæ exanthematum, quas nobis prodiderunt, et referendæ ad nihil aliud nisi hos morbos contagiosos, in hac sententia inire suadent, nimirum, ut morbi hominum mutationem abnormem de qua ratio reddi non potest haud subiverunt et exan-

themata primordiis notata fuerunt.* CULLENUS eamdem opinionem tenet.† Porro Rubeola et Scarlatina confundebantur usque ad tempora Doctoris WITHERING qui fuit primus docere discrimen inter eas esse: et nobis sunt qui omnes febres esse easdem credunt.

NOMEN ET DEFINITIO.

AB Italia nomen, Scarlatinam, deductum, et iis satis ingratum esse, quibus usum est. Doctor GOOD eo uti recusat, et hoc, alio nomine, Rosalia, permutaret: credit se sine auctoritate haud munitum esse a MORTON, DE HAEN, etc. etc. Hic morbus tractatus est sub multis nominibus scilicet, Morbilli, Febre miliari, rubra vel maligna, febre anginosa miliari, Mal de la Rosa, et multis

* BATEM. on Cut. Dis. p. 70.
† CULLEN, First Lines, paragr. 721.

aliis, quodvis præcipue e cutis colore elicitum.*

Cullenus Scarlatinam sub classe "Pyrexiarum" et ordine "Exanthematum" recensit, et duas species facit, simplicem et cynanchicam. Nonnulli tres et Doctor Bateman quatuor faciunt. In omnibus temporibus, vicibusque anni, sed præsertim in mediâ hieme Scarlatina ingruens, et juvenes præcipue, sed raro adultos et eos, quos antea invasarat, afficit: interdum morbus epidemicus est, et sub ea formâ plerumque sub autumni finem occurrit: hanc characterem in Nosologia Culleni habet. "Synocha contagiosa; quarto morbi die, facies aliquantum tumens; simul in cute passim rubor floridus, maculis amplis, tandem coalescentibus, post tres dies in squamulas furfu-

---

* Good's Study of Medicine, vol. ii, p. 550, et Bat. Cut. Dis. p. 69.

raceas abiens; superveniente dein sæpe anasarca."†

HISTORIA MORBI.

Scarlatina incipit, lassitudine, languore, et aliis signis debilitatis prægressis, cum cervicis doloribus, capitisque, calore aucto, sub-delirio nocte, et signis omnibus, præcursoriis febris. Excretiones alvi interdum suppressæ, sed plerumque solitâ quantitate redditæ sunt; urina rubra, sitis aucta, cutis arida, linguæ medium sordidum est, punctis rubris ex papillis elongatis, instructum, necnon quoque ad latera lingua, ut interiores oris et faucium, valde rubra est; pulsus celer et debilis, per stadium eruptionis ad centum vel centum et viginti ictus in minuto temporis spatio edit: plerumque nausea et vomitus accedunt.

---

* Cullen's Synopsis Nosologiæ Methodicæ, G. 32.

Morbo mitiore pulsus debilis est, et dolor capitis, inquies, lassitudo, fauces internæ inflammatæ ægrum multum vexant; gula viscido, glutinoso, et tenaci muco inquinatur. Eruptio post diem febriculæ in superiores partes incipiens, in uno die super totum corpus visa est, primum maculis paucis quæ coalescunt dum augeantur, et eruptionem continuam die sequente formant; utcunque eruptio rarò continua sed in maculis diffusis, et irregularibus distributa est: color coccineus maxime in flexuris articulorum et lumborum vigescit. Pectus quoque et lacerta nonnullis papularum sparsa sunt. Quarto die ad crisim manet eruptio, et quinto decidens interstitiis maculas parvas ut primo ostendit; sexto indistincta, et octavo et nono squamulæ ex cuticula deciduæ cadunt: efflorescentia corpore elapsa, lenis sudor subit et sanitas integra paulatim recuperatur.

In exemplis gravioribus inflammatio per os, fauces etiamque per nares discurrit, interdum quoque in tunica albuginea oculo-

rum visa est: facies non paululum tumet; frequenter inquies, et interdum delirium superveniunt, quæ manifestè e calore aucto cutis pendent, et graviora, mitiorave cum febre ad decimum quartum diem producta sunt: remissiones matutinæ, et exacerbationes vespertinæ reciprocantur; et exacerbationes, in quo tempore color eruptionis ruberrimus est, ut minimus manè, ad mediam noctem perstant. Rubor pressurâ decedit, et sublatâ subitò reddit. Efflorescentia febrem non minuit; contagio specifica eam gignit, et Doctor BATEMAN et multi alii credunt eam semel in decursu vitæ infestare. Interdum iterum infestabit; et Doctor BATEMAN ipse dicit, contagio adultis non valdè noxia est, et in iis nunquam morbus confestim apparet: gula eorum qui in contagionem inferuntur, et antea affecti fuerunt, summis doloribus solum afficitur nullâ eruptione comitatis.

Scarlatina cynanchica, quam anginosam SAUVAGES aptè nominavit; non solum

symptomatis dudùm dictis exacerbatis, nec-non inflammatione etiamque ulceratione ton-sillarum incipit: maculæ subalbidæ super tonsillas imprimis videntur, quæ citò vera et superficiaria ulcera fiunt; vis morbifica faucibus præcipuè insidet, ex hoc efflore-scentia cutis levissima est, in raris maculis dispersa, neque universalitèr aut æquè dif-fusa; quin et uno vel duobus interdum septem diebus, seriùs apparet, tardior fac-ta juguli fortassè ab irritatione locali. Hanc inflammationem juguli incipere maturè ad-modum videbitur, si jugulum scrutetur, quia, licet nullus dolor sentiatur priusquam indicia febrilia, tamen si cautè scrutetur, velum pendulum palati rubrius naturali, quoque uvula paululum inflammata, vide-buntur: Pulsus simul acceleratus, et turba-tus, magisquam febriculosus. Nihilominus tonsillæ gradatim tumefactæ nitidos pal-lores præbent, et qui in toto palato, velô ejus pendulo, uvulâ, et posterioribus fauci-bus exhibentur. Lingua valde rubescit, et papillæ super totam ejus superficiem mul-

tum producuntur: rigiditas colli et maxillæ inferioris, et gula arida, arctaque, e quâ deglutitio difficilis, pænè nunquam absunt. Febris major est, comitata nauseâ, vomitu, ingente calore et languore; non parùm inquietis et anxietatis est; quæ cum capitis dolore et delirio, tantum fluxum versus caput liquidò ostendunt, quantum ad fauces. Debilis nunc pulsus, respiratioque crebra sunt. Gula ulcerata dejicit partes ejus vestitûs, quæ in viscido muco minutè diffunduntur, quô difficultas deglutiendi augetur, ulcera per septem dies manent sed paulò interdum diutiùs.

Respiratio laboriosior et frequentior, pulsusque depressior, minor, et celerior fiunt: tinnitus aurium ægrum multùm turbat, inquies efflorescentiâ non sedatur, e contrariò symptomata aggravantur et pejora ingruunt, et æger in brevi temporis spatio extinguitur; autem, si versus sanitatem advocaretur, diu et ægrè convaluierit, et non est dubium an denique correptus erit anasarcâ.

In quibusdam exemplis tumores glandularum cervicis oriuntur, diuque molestiam creant. Eruptio non semper secundo, sed frequenter tertio die apparet, et non ut Scarlatinæ simplicis, totum corpus occupat, sed in maculis, quæ perrarò summitati cubiti deficiuntur, sparsis erumpit; interdum quum orta est posterò evanescit sine ulla imminutione reciprocâ morbi generalis, et temporibus incertis partim resurgit: tempus morbi totum sic contractum; et desquamatio irregularior fit.

In multis eruptio nullâ desquamatione sequitur, dum in aliquibus ad et ultra tertiam hebdomadam, desquamationes et magnæ partes cuticulæ inruptæ, præsertim e manibus et pedibus caducunt. Gula interdum non dolescit neque inflammata est ante medium eruptionis, quandoque attamen ad initium febris. Cutis in Scarlatina magis quam in ullo alio morbo hujus terræ partis calet; calor sæpe surgens ad centesimum et altiorem gradum thermo-

metri Farenheitiani. Diarrhœa et Anasarca pendentes e debilitate post morbum instant, et si anasarca in facie vel extremitatibus manet, non periculosa est, sed timendum est ne universa fiat et effusio subita lethalis aut in thorace aut in cerebri ventriculis sedeat. Scarlatina variolam vacciniam prohibuisse dicitur.

CAUSÆ MORBI.

Hic morbus contagione specificâ editus eas causas solum habet, quæ corpus proclive reddunt et morbum excitant. Inter primas, juventutem enumerare licet, et quoque omnes debilitantes quales parum victus aut potus salutaris, ebrietatem, putridum et humidum aëra, sordem omnigenam, etc. etc. Melancholici fibræ rigidæ assueti temperantiæ et in ætate provecti pænè nunquam afficiuntur, sed ii temperamenti sanguinei, corporisque pleni usitatâ consuetudine recedentes haud sæpe morbum effugiunt, etsi

ut in plurimis morbis habitus corporis, idiosyncrasia, multam varietatem parit; et ex eâ creditum sit pendere ut iterum et iterum infestet, ut formam malignam inducat, et cynanchen malignam adeò simulet, ut distingui non possint, et ut exemplis paucis fere nullum morbum faciat.

Dicitur vulgò, contagionem specificam esse causam hujus morbi in omnibus et singulis exemplis; sed utrum suâ sponte quibusdam sitibus oriatur omnino incertum est, et utrum contagio ipsa de novo gignabatur, halitû noxio ex animalibus et plantis mortuis oriente, spiritû pauperum multorum in miseris tectis incluso, etc. etc. æquè incertum est: facere hæc certiora, quæ nunc prorsus disputata sunt inter medicos est hodiè optatum. Accessio, qualis sit, et tempus in quo post contagionem, morbus se ostenderet, magis ex hominis temperantiâ, et regularitate prioribus, quam contagione, pendent.

SECTIO CADAVERIS.

Quum cadaver scrutemur fauces inflammatas, suppuratas et interdum gangrænosas videmus; laryngem etiamque tracheam, usque ad bronchias, inflammatas, et glutinoso, fetidoque mucô vestitas: interdum glandulæ cervicis absorptione effusionis faucium tumifactæ ostenduntur. In aliis partibus corporis eadem morbida signa, quæ in febre putridâ reperiuntur. Eadem fere signa morbida in omnibus exemplis febris post mortem reperta fuerunt seu capitis, pulmonum, cordis, vel viscerum abdominalium: quo Doctor Armstrong tres species Scarlatinæ malignæ facit, nempe inflammatoriam, congestivam et unam ex his confectam. Inflammatoria pænè nihil a Scarlatina anginosâ differt; magis inflammatoria, citius evadit, et æger sæpe in irreparabilem collapsum labat; Scarlatina congestiva maligna fere eadem est quod cy-

nanches maligna: idem morbi initium, progressum et eventum habet. Doctor CULLEN eandem descriptionem eruptionis ambarum facit,* et dubitavit an Scarlatinam sub eâdem classe referre; attamen in nosologiâ ejus febris cynanchis malignæ, typhodes, et Scarlatinæ, synocha, recensentur. Scarlatina maligna, quam Doctor BATEMAN præcipue efflorescentiâ describit, cum cynanchê malignâ CULLENO descriptâ coalescit, ambæ eodem tempore, et dicitur, ut ab eadem contagione, oriantur. Doctor GOOD, qui in proximâ opinione est, duas species Scarlatinæ facit, quæ cynanchen malignam, secundum CULLEN, complectuntur, et quoque E. Paristhmitis malignam recenset.†

* First Lines, parag. 655.

† Vide Study Medicine, p. 339, 553.

DIAGNOSIS.

Cynanches maligna incipiens præsertim ægroto, nauseâ, et vomitû indicatur: dein albis vel cenereis maculis, quæ super internas fauces tumifactas et inflammatas insident. Citòque ulcera fœda fiunt, perfundentia labra et nares acridâ et leni distillatione: eruptio hæc signa consequens ex iis pendet, quibusque morbus dignoscendus sit.

Scarlatina pluribus morbis præter cynanchen malignam confundi potest, præcipuè cum aliis exanthematis. Doctor Bateman incredulus secundi accessus Scarlatinæ, credit ut huic similitudini, præsertim Roseolæ, attribueretur ut aliqui dicunt eam plusquam semel occupare.*

* Bateman on Cut. Diseases, p. 97.

A Rubeola.—Rubeola tussê catarrhali, inflammationê oculorum, et tarsorum, lachrymatione, coryzâ, et Sternutatione, comitatur, quæ in Scarlatinâ aut lenissimè superveniunt aut omninò vacantur. Eruptio in Rubeola tertio, quartove die apparet, et nunquam in manibus præ sexto vel septimo die: Color ejus subruber est, et eruptio asperior tactû, et gradatim formam semilunatam sumit, tardior in toto decursû, quam Scarlatina, in qua eruptio una concurrit, et inquiete, anxietate et animi abjectione caret quæ posteriorem, Scarlatinam, propriè notant.

A Variola Confluente.—Ab aliis speciebus variolæ facilè distingui potest, sed non satis eâ, non ante diem certè circa tertium; quum puncta similia lenticulis stipant efflorescentiam continuam cum multitudinibus confertis pustularum incipientium: citòque sese attollunt, implentque, non purê, sed serô flavo, ut in hâc specie non æquè suppurant; necnon etiam est variola minus

cognita vomitû et doloribus ventriculi, et quoque fluxû sanguinis versus caput, oculos et glandulas salivares.

PROGNOSIS.

Scarlatina Simplex nunquam periculosa est, quia febris, lenis, et pænè nulla congestio aut collapsus adsunt. Prognosis in Scarlatina anginosâ quum viscerum congestionis signa ostendit, quum ulcera fœdiora fiunt, aut ingens collapsus supervenit, infausta est. Æger circa decimam quartam diem, aut gutturis inflammationê, quorundam viscerum congestionê, sæpissimè cerebri, aut effusionê subitâ in capite vel thorace correptus, moritur. Post morbi recessum anasarca timenda est, et nihil citius frigore excitatur: frigus convalescentibus solicitè devitandum est.

RATIO MEDENDI.

Quoniam infausta signa e febrê multum pendent, indicium manifestum est lenire febrem; atque adeò ut modi, quibus apprimè effici potest, et maxime laudaverunt, semper fuerint tales qui refrigerantia, integer aër, aqua frigida, liquores aciduli et purgantia. Calor, cardiaca, et alia stimulantia ostensa fuerunt exacerbare morbum et mortem sæpissimè inferre.

Cullenus rationem medendi ita brevitèr exponit: Regimen Antiphlogisticum generaliter, aëra frigidum, et caloris externi incrementum æquè devitans est omne quod utile fore.* Hoc præscriptum adhuc sequitur, quia morbus cursum finitivum discurret; et medicamenta nulla, nisi

* First Lines, parag. 657.

extenuantia prosunt. Primum est emetico uti, nauseam arcere, et cruda et irritamenta ventriculo expellere : ea emetica quæ alvum solvunt, sunt optima, et nisi pro hoc propositô inutilia sunt, postea quam plenum vomitum excitaverunt : fortasse utilia sint exonerare gulam, licèt inflammatam, viscidô, glutinosôque, mucô et serô, quibus ea, et fauces farciuntur.

Alvum movere, solutumque assiduè laxantibus ciere debet. Rectè etiam admoventur spongiæ ex aqua frigidâ expressæ, calorem urentem lenire et alia medicamenta auxiliare: Purgantes salini sunt optimi.

Quum febris urgens, pulsus plenus, et tonsillæ tumefactæ sint, sanguinis missionem cautam requiri liquet, ait CULLENUS, quoniam magno auxilio adhibita fuit.* Sed

---

* First Lines, parag. 659.

si calor urens, inquies, oppressio et signa excitationis vehementis aliis remediis depelli possunt, nullam missionem sanguinis postulant, pro ut vires, ut CULLENUS ipse timebat, imminutæ sint. Sed aliqui justè putant collapsum et debilitatem e pregressâ excitatione pendere, ita si excitatio non citò decedat magna detractio sanguinis adhibeatur et altera quoque cum symptomata augeantur; sed meminisse refert ut præcipue pueris agendum sit.

CULLENUS et complures auctores in laudando emeticum ad morbi initium concordant ut utilissimum et tutum. Nonnulli conabantur ostendere emetica brevibus intervallis iterata utilia fore; sed CULLENUS: Quum nauseosa alvum movent, utilissima; pro ut alvum solutum in cursû totius morbi utile est,* sed citò plenum vomitum cessat, et fatigatio vomendi in-

---

* First Lines, parag. 660 et 178.

firmat, ea propter, nisi atonium et spasmum omnino atollunt, hæc exacerbant.* Semper incommodum toties iterare emeticum, et sit nocivum. Quidam medici Submuriatem Hydrargyri emetico commiscuerunt et magna ex parte successus ad purgationem attinere putaverunt. Doctor HAMILTON† in opinione est, ut purgantia ex Submuriate Hydrargyri et Jalapa vel Rheô sine emeticô satis morbo occurrunt. Lenis purgatio pæne universaliter laudata est, et diarrhœæ ipsi, quæ ad finem interdum supervenit, occurrere putatur. De his medici parum discrepant, nisi de misturis et modis purgandi qui aliis propositis inservire queant.

Nonnulli diaphoretica antimonialia laxantibus miscent, et optima sunt quum calor

---

* First Lines, parag. 660 et 178.

† HAMILTON on Purgative Medicines. 8vo. Edin. 1811. P. 51.

cutis sinit; quippe si cutis ultra certum gradum calefacta diaphoresis erumpere non potest; et quoque lavationem frigidam plurimum auxiliantur si cutis semel relaxata sit, quia sudationem sustinere et augere pollent et pro his propositis insigni beneficio exhibuerunt.

In omnibus exemplis Scarlatinæ gargarizationê detergente et interdum stimulantê uti debet, prout mucus viscidus aut ulcera faucium postulant. Gargarismata sunt acetum, acidum sulphuricum dilutum, acidum muriaticum, etc. et acida, vel potius succus frugium acidulus, quæ in corpore magnâ vi astringentê pollent. Pueri plerumque gargarismatis uti nolunt, quo conservum Rosæ, mel, fruges, et omnia talia dari debent.

Si fauces multum dolent vesicatoria, vel hirudines, ad externas, applicentur; sed si hæc non postulent, omni tempore eas pannis laneis tegi debet; sed perrarò deglutitio

dificilis aut dolor ita sint, quia coma, vibices, et extremæ lacertum frigidæ collapsum ingentem indicant ; porroque in talibus fauces a primô minime suppurant et nullus dolor ægrô sentiatur. Anasarca, quæ sub morbi finem subit, nullam curaturam aut remedium postulat, quia purgantibus tam strenuè præscriptis et usitatis pæne semper subigitur, sed si diù manet aut ingens fit eadem curatio, ut anasarcæ idiopathicæ, accommoda est. *

Doctor CULLEN ait,† non solum aër frigidus sed etiam aqua frigida, cuti applicari potest, ut refrigerans, et forsan ut medicamentum tonicum; veteres eam ut tonicum, partibus topicis magnâ, et insignî opê applicaverunt; sed temporum nostrum inventum est, ut aqua frigida in febrê

---

* The Anasarca often arises from the state of the Skin, and is best removed by promoting desquamation by tepid bathing. NOTE by Dr. DUNCAN, senior.

† First Lines, parag. 209.

putridâ ingentê debilitatê comitatâ super totum corpus infundatur: cujus a tempore, usus utilitatem lavationum frigidarum in pyrexiis pænè omnibus comprobavit.

Ex medicis hujus regni Doctor CURRIE fuit primus ostendere utilitatem lavationis frigidæ. Quando cutis arida et callida, pulsus acceleratus, et caput dolens est, si applicetur jucundissima est, et utilis applicatu quandocunque calor et excitatio urgens fit.* Doctor CURRIE eam inter viginti quatuor horas duodecies applicavit: sed lavatio frigida, si collapsus aut reactio tantum partialis adsunt, nocet, sic lavatio tepida nonnullis laudata est, sed si aër frigidus ægrum contingat paulo post tepidarium facilè inhorrescit, ita æquè timenda est ac lavatio frigida: quum res ita se habet optimum sit Submuriatem Hydrargyri primum adhibere,

---

* In several instances of Scarlatina, Dr. CURRIE's practice has induced convulsions, terminating fatally.—NOTE by Dr. DUNCAN, senior.

postea laxantibus lenioribus et opio in parvis dosibus uti, omnigenas sordes emovere et denique ita ventilare ut aër humidus aut frigidus ad ægrum non pervenerit.

Acida, cinchona, et vinum in exemplis pessimis Scarlatinæ liberè usurpata fuerunt, et, fertur, insigni beneficiô; cynanchi malignæ prosint, et si morbus ambiguus, adhibere cautè, similiter sanguinis missionem, licet; sed præcipuè munditia, quies, et aër purus et sæpissimè renovatus, ut non morbi effluviis corruptus et stagnans fit, adhibendi sunt, et soli utiles.

FINIS.